



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,  
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,  
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non  
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lugduni, 1663**

Caput 26. De temporalibus Hæreticorum Pœnis.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)



Farin. de heresi. q. 189. a. 69 Menoch. de arbit. l. 2. casu 46. n. 61. Pegna Director. p. 3. qu. 113. Salcedo c. 114. & plurimi apud ipsos præcipue apud Gonzalez.

Probabilior plane hæc sententia est. *cap. enim Cum secundum leges de hereticis in 6.* omnia bona hereticorum à die commissi criminis sunt confiscata. Si ergo omnium bonorum temporalium amittit hereticus titulum, & dominium, id à fortiori amittet Beneficiorum Ecclesiasticorum ipso iure. Requiritur autem Declaratoria sententia, cum ante illam non teneatur hereticus se Beneficiis spoliare, sicut neque aliis bonis, vel latis colligitur ex *cap. Cum secundum, de hereti. & tradit Sanchez cist. n. 7.*



CAPVT XXVI.

De temporalibus Hereticorum Pœnis.

DVBIVM CIX.

Quæ acquiris Hereticus tempore medio inter delictum, & sententiam publicantur?

**R**EGVLA est ab omnibus DD. recepta: omnia bona tam mobilia, quam immobilia, iura, & actiones, quæ heretici propria sunt, cum delictum committit, ipso iure confiscantur. Quia in *l. Manichæos* omnia bona veniunt confiscanda, & sub signo illo uniuersali nulla excipiuntur. Bona autem quæ heretici non sunt, sed alterius, etiam si in potestate heretici reperiantur, in pœnam confiscationis non deueniunt. Quia hoc æquum non erat, alias innocentes punirentur contra *leg. Sancimus, C. de pœnis*. Bona verò, quæ heretici fuerunt, sed non sunt tempore delicti, eo quod illa à se abalienauit donatione simplici, aut contracta minime sunt confiscationi obnoxia: nisi in fraudem fisci facta fuerit alienatio. Tunc enim nulla est donatio, vel venditio, sed omnino à fisco reuocatur. Porro si donatio, causa mortis facta sit à viro vxori, firma manet commisso delicto, & bonis publicatis, ac si mors, naturalis euenisset, neque in fiscum transit, *leg. Sed si mors, ff. de donat. inter virum, & vxorem*. At si donatio non à viro vxori, sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non confirmatur, sed omnino dissoluitur, & res donata transit in fiscum. Quia more ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci, est speciale priuilegium vxoris, *leg. Res vxoris, C. de donat. inter vir. & vxor.* Quod autem post delictum commissum, & latam sententiam ille acquirat, non publicatur. Quia tunc cessat fundamentum publicationis quod est delictum. Docet id Farin. multis relatis, de heresi, q. 190. nu. 25. & q. 25. num. 138. Sanchez lib. 2. Decal. capit. 14. num. 8. Quæsc-

ris verò, an acquisita illo intermedio tempore, quo delictum committitur, & de illo fuit hereticus condemnatus, debeant confiscari, seu publicari?

Debent quidem. Quia ita consuetudo obtinuit, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur. Et in heresi crimine hoc efficacius procedit. Quia dum ad Ecclesiam non reddit in heresi censetur perseverare. Sic Azor. *101. l. 5. c. 7. q. 8.* Vasquez *1. 2. d. 169. c. 1. n. 8.* Suar. de fide, d. 22. sect. 1. n. 15. Iul. Clarus lib. 5. receptar. §. fin. q. 78. n. 24.

Non debent publicari. Quia confiscatio hæc delicto est annexa, nec sententia aliam sententiam delinquenti imponit, nisi quæ per delictum imposita est: sed per delictum imponi non potest confiscatio nisi bonorum, quæ tempore delicti habentur. Ergo nec sententia aliam confiscationem imponit. Ita Martiengo lib. 5. recop. tit. 4. leg. 3. §. 7. n. 6. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 14. plures citans Baiard. ad tit. ad Clarum lib. 5. §. Heresi, num. 19. & q. 78. nu. 212. Burlat. conf. 14. n. 28. Palao de fide tr. 5. d. 4. pun. 3. n. 5. & alij.

Probabilius hoc mihi. Nam hoc præstat confiscatio ipso iure, vt in loco sententia succedat, & delinquens ex delicto puniatur, ac si sententia esset pronunciata: Ergo non puniatur in bonis post delictum acquisitis. Fauerit *lex 1. ff. de pœnis*. Vbi eam pœnam delinquens sustinere cogitur sententiam, quam sustinisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia: At si eo tempore esset sententia lata, non extenderetur ad bona postmodum acquisita: Ergo neque etiam postea extenditur. Demùm pœnæ non sunt extendendæ, sed limitandæ: nullibi autem habetur, extendendam esse confiscationem ad bona post commissum delictum acquisita: Ergo.

DVBIVM CX.

An cadat sub confiscationem Maioratus & fideicommissum ob crimen heresis, & Sodomie?

**B**ONA maioratus, vel fidei commissio subiecta, vel alienari prohibita sub publicatione bonorum generatim non comprehenduntur, *leg. Imperator, Digestus de fideicommissis, liberat.* Farin. plurimos referens libro primo præf. q. 25. numer. 22. Nosse Molina *10. mo tertio dub. 56. numer. 2.* Quia quilibet habet in suis bonis liberam disponendi facultatem *leg. sed et si lege. Paragraph. consultit, Digestus de pet. hereditat.* Sed qui tibi ea bona reliquit, non absolute reliquit, sed sub conditione, ne ea posses alienare: Ergo sub confiscatione non comprehenduntur. Probo consequentiam. Quia nullus potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum habet liberam dispositionem, *leg. Si dotem, Cod. de iure dotium.* Quæstio autem est, an cadat sub confiscationem maioratus, & fideicommissum ob crimen heresis, aut Sodomie?

Cadit

495  
Quæ acquiruntur tempore medio publicantur.

496  
Non publicantur.

497  
Hoc mihi probabilium.

498  
Certa suppono.

TOBAR  
MOR.  
VI. VII.  
IV  
G



499  
Maioratus  
sub confiscatione.

Cadit quidem maioratus, qui quidem est quoddam fideicommissum. Quia sub hac tacita conditione videtur institui, & à Principe institutione approbari, hic Simanc. de Cat. in fit. tit. 9. à n. 253; ad 273. Azor. 10. tit. 8. c. 12. q. 7. & 13.

500  
Non cadit.

Minimè cadit. Quia communi iure statutum est, omnia fideicommissa, & alienari prohibita, non cadere sub confiscatione perpetua: sed nullus est textus, qui ob hæresim, aut Sodomiam publicet maioratum, imo potius sunt plures textus, qui maioratum à confiscatione etiam in his criminibus excipiant: Ergo. Ita Castro Palao. de fidei. 4. d. 5. pun. 6. n. 8. plures textus inducens in Minoris probatione. Anton. Gomez leg. 40. Tauri, n. 91. Molina de primogen. c. 2. n. 10. Molina Ieluita tom. 3. d. 656. à n. 3. & d. 582. n. 1. Sanch. lib. 2. Decal. cap. 18. n. 36. Valquez 1. 2. d. 169. cap. 4. numer. 30. Mieres de maiorat. part. 4. question. 23. à numer. 1. usque 22.

501  
Auctoris  
resolutio.

Ego quidè primam sententiam ita vniuersaliter propositam iudico, esse admittendam non sed distinguendum de maioratibus institutis ex Regia facultate, vel sine illa ex propriis instituentis, vel ex bonis à Rege acceptis. Et quidem si alius à primo instituyente possideat maiorat constitutum ex dispositione tantum iuris communis concedentis cuiuslibet non habenti necessarios hæredes disponere de propriis bonis, prout sibi placuerit, vel ex dispositione legum nostri Regni concedentium facultatem instituendi maioratum, & in aliquo filio perpetuandi de tertio & quinto suorum bonorum: & in hæresim, aut Sodomiam incidat, nullatenus maioratus sub confiscatione comprehenditur. Quia sicut solum abstrahit bona delinquentis, quatenus delinquentis sunt: sed hic maioratus non est delinquentis absolute, & in perpetuum; sed solum dum vivit, obeunte enim, additus est aliis cognatis ex primi institutoris dispositione: Ergo solum pro tempore vitæ delinquentis confiscari potest, atque adeo quoad fructus, & commoditates. Verùm si bona aliqua à Rege tibi donata sunt absolute & non sub maioratus titulo, tu vero ex illis maioratum instituiti: ea bona, delinquente aliquo ex possessoribus, non publicantur in perpetuum, sed ad sequentem vocatum transeunt. Quia ille possessor delinquens non habet à Rege, sed à te maioratum, neque bona illa dici Regalia possunt, cum à Rege fuerint absolute donata, & translata non possessori maioratus, sed primo instituenti. Moli. de primogen. lib. 4. c. ultim. n. 48. Sanchez lib. 2. Decalog. c. 18. nu. 37. Ceterum si bona sunt à Rege donata sub maioratus titulo in perpetuum, & confiscatio non à Rege, sed à Pontifice facienda est, vt de facto fit in crimine hæresis applicante ea sicut Ecclesiæ: nullatenus potest pontifex ea in perpetuum publicare, sed solum pro vita delinquentis poterit commoditates maioratus, & fructus Ecclesiæ adiacere. Quia Pontifex non potest innocentes iure sibi debito succedendi in maioratum priuare: cum ab ipso Pontifice nec datus, nec institutus fuerit sub ea conditione. Sanch. n. 40. & Valq. c. 4. n. 28. & 29.

## DUBIVM CXI.

An Maioratus ex Regia facultate institutus ex omnibus bonis, (qui tamen in tertium & quintum ne illa poterat institui): subiaceat confiscationi quoad tertium, & quintum?

Non subiacet. Quia censeri non potest quis vti priuilegio, nisi quatenus sibi necessarium est, vel conueniens. At ad firmitatè maioratus in illa parte, in qua poterat, excluso priuilegio, maioratum instituere, priuilegium necessarium non est, neque conueniens: imo conuenientius est ex iuris dispositione esse institutum, quam ex priuilegio: Ergo sic est censendum esse institutum, quamuis dicat institutor, ex facultate sibi concessa maioratum instituere; quia intelligi debet quoad eam partem, in qua non poterat, secluso priuilegio, facere institutionem. Sic Sanch. libro secundo Decalog. c. 18. nu. 50. Molina noster tomo tertio dub. 582. numero tertio. Gregor. Lopez lib. 6. v. Que la non pudiese question. sexta titul. 11. part. 6.

Subiacet quidem. Quia totus maioratus censendus est institutus ex Regia facultate: sola enim facultas Regia est, quæ totam illam dispositionem comprehendere potest: & cum videatur esse quædam dispositio indiuisibilis, non videtur dari locus, vt pars aliqua facultati Regiæ correspondeat, & pars alia legali facultati. Ita Anton. Gomez leg. 40. Tauri, n. 91. sine.

Probabilem admodum primam sententiam esse iudico, sed fateor rationem Antonij Gomez me mouere, vt probabiliorè putem esse secundam & in duplici casu omnino certam. Primus est, institutor habens descendentes maioratum instituit ex Regia facultate in tertia & quinta parte bonorum, & in reliquis bonis seruando reliquis filiis alimenta: & in hac maioratus institutione non seruet ordinem præscriptum in lib. 27. Tauri, quæ hodie est lex 11. tit. 5. lib. 5. recopil. vt prius vocet descendentes legitimos, & naturales deinde agnatos & cognatos, seu collaterales: postremo extraneos: in hoc enim casu censo certissimum, ex Regia facultate censendum maioratum esse institutum. Quia finis instituentis est, vt maioratus integrè ad vocatos perueniat: at peruenire non potest, nisi Regia facultate fuerit institutus; solum enim ex illa ordo præscriptus omitti potest. Secundus casus est, eum quis vniciū habet filium, & disponit nõ solum de quinta bonorum parte, sed etiam de tertia, vel de omnibus bonis; cum enim solum liberum illi sit, de quinta bonorum parte disponere, aliæ enim sunt illius filij legitime, quæ grauari nullatenus possunt. Si ergo de tertia & reliquis disponit, censendum est id agere ex priuilegio Regis, non solum de iis, sed etiam de quinta parte. Quia est facultas Regis concessa æquanimiter pro omnibus: neque Rex concederet facultatem gra-



uandi filium in sua legitima, si parens quintam bonorum partem eodem modo grauare nollet. Itaque si ex facultate Regis institutus sit maioratus, & Rex facultatem concessit ea conditione, vt si aliquis ex possessioribus maioratus ecimen commiserit læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, vel contra naturam, eo ipso bona in sequentes successores non transeant, sed fisco applicentur: tunc manent bona fisco applicata à puncto commissi delicti. Quia ipse fiscus est vocatus à maioratus institutore, sicut quilibet alius ex descendentes. Lege vtrumque Molinam, de primog. libro secundo cap. 2. numer. 10. De iust. tomo tertio dub. 657. numer. 2.

DVBIVM CXII.

An peculium aduentitium filij heresi rei veniat in confiscationem bonorum factam, reueruato patri vsufructu

<sup>505</sup> <sup>Dicitur</sup> <sup>premitio.</sup> Certissimum est non confiscari legitimam ob heresim filijfamilias, dum residet in patris potestate. Quia confiscatio ad aliena bona non extenditur, sed ad propria delinquentis: at legitima non est delinquentis, quouique pater è vita recedat. leg. suis de liber. & posthum. De bonis profectitiis similiter est dicendum, non venire in confiscationem ob filijfamilias heresim leg. Cum oportet. C. de bonis, que liberis. leg. Filius, 3. C. de bonis profcript. leg. Cerrion. C. familia erciscenda. Quia hæc bona non sunt filij, sed patris tam quoad proprietatem, quam quoad vsufructum. leg. si plures. §. in arrogato. ff. de vulgariis. & pupil. Ergo ob filij delictum publicari non possunt. De peculio aduentitio est difficultas, an veniat in confiscationem bonorum factam filiofamilias reueruato patri vsufructu?

<sup>506</sup> <sup>Veniunt in</sup> <sup>confiscatio</sup> <sup>nem.</sup> Veniunt profecto. Quia proprietates horum bonorum filij est, non patris: Ergo confiscatis bonis filij hæc proprietates confiscatur. leg. Si postulauerit. §. libet lex. ff. ad leg. Jul. de adulteris. certe facta hac confiscatione proprietatis, nullum ius parens amittit, cum illi vsufructus referuatur. Ergo ob vsufructum illi debitum non potest publicatio impediri. Sic Paulus Paris. conf. i. §. 7. l. 4. Caldas ad l. se curatorem. verb. l. §. numer. 112. Bonac. de contract. d. 2. q. 8. puncti. vltim. §. 1. numer. 18. Farinac. quest. 24. numer. 5.

<sup>507</sup> <sup>In confisca</sup> <sup>tionem non</sup> <sup>venit.</sup> Non veniunt in confiscationem. Quia esto filius sit dominus proprietatis aduentitorum: non tamen illa potest alienare absque consensu parentis ob reuerentiam illi debitam: ne, inquam, ipse parens ob talem alienationem factam ab extraneo proprietario inquietetur, aliquodque detrimentum in vsufructu sibi debito patiat. Sed quoties alicui alienatio prohibita est ob alterius fauorem, nequit prohibitus per delictum alienare. l. Imperator. ff. de fideicom. liber. Ergo. Ita Roland. consil. 56. numer. 10. Anton. Gomez. tom. 3. var. capit. 15. numer. 14. Menoch. de recuper. possess. rem. 9. nu. 65. & 66. Farinac. quest. 24. numer. 5. Sanchez lib. 2.

Decal. c. 15. num. 9. Peregr. de iure fisci. lib. 5. tit. 1. nu. 128. Fachin. lib. 4. controuer. iuris. c. 47. Jul. Clarus l. 5. recept. qq. 78. n. 12. Bernard. Diaz c. 13. 2. num. 6.

Ego quidem ad questionis claritatem reco-  
lo peculium profectitium esse, quod filiofamilias  
provenit à parente vivo, vel causa parentis  
principaliter donatur. Aduentitium est,  
quod filio donatur non quidem à parente,  
sed ab aliis: neque in gratiam parentis, sed in  
gratiam ipsius filij. Item quod filius labore suo  
& industria extra militiam acquirit, aduenti-  
tium est. Castrense, quod filio acquiritur occa-  
sione militiæ, vel obsequij Principis in pala-  
tio. Legitima autem est pars hereditatis debita  
filio mortuo parente. Igitur ob delictum  
filij nec legitima, nec profecticia, nec aduen-  
titia publicantur. De legitima, & bonis prof-  
fectitiis iam præmissi: de aduentitiis autem vt  
probabilius esse iudicem non publicari, hoc  
fundamento nitor. In leg. si filius 3. Cod. de bo-  
nis profcript. cauetur bona castrensia publica-  
tioni non subici ob filijfamilias deportatio-  
nem. Ergo neque aduentitia, in quibus ipse fi-  
lius minus habet: vtrumque probo. Quia fi-  
lius iure antiquo omnia, quæ acquirebat, pa-  
tris erant. leg. Placet 78. Digestis de  
acquir. hereditat. illaque pater tanquam  
propria ipsius occupabat, si forte filius in-  
status decebat. leg. 1. & 2. ff. de castren. pecul.  
Ex constitutione autem noua hoc ius illis est  
concessum, vt proprietatem debeant in bonis  
aduentitiis, & patri vsufructus referuatur. l.  
1. C. de bonis, que liberis. At per delictum hære-  
sis, vel aliud confiscatione dignum, hoc priui-  
legium illis auferitur, & bona relinquuntur  
patri vt ea tanquam propria occupet: Ergo  
patri, & non fisco sunt deferenda. Minorem  
probo ex præfata leg. Si filius. ibi enim dicitur  
Si filius tuus cum esset in potestate, in insulam  
deportari meruit, peculium eius, nec quod in  
castris acquisit, vel quod ei militaturo dona-  
sti, auferri tibi debet. Expendo verbum Au-  
ferri, quod denotat iam per delictum bona  
filij facta esse patris, & ideo ab illo non esse  
auferenda. Fachineus sic capit. 47. ex  
Cuiacio in Cod. ad titul. de bonis damna-  
torum.

508  
Idè asserto.

DVBIVM CXIII.

An bona castrensia vel quasi castren-  
sia publicentur ob heresim filij?

<sup>509</sup> <sup>Publicatio</sup> <sup>quidem.</sup> Publicantur. Quia in his bonis filius habet  
plenu, ac perfectu dominium tā quoad pro-  
prietatē, quā quoad vsufructum liberā,  
que eorū administrationem, & dispositionem,  
tanquam si paterfamilias esset. leg. 2. Cod. ad  
Macedon. leg. Cum oportet. Cod. de bonis, que li-  
beris. leg. Miles 1. Digestis de castren. pecul. Ergo  
delinquendo poterit illud amittere; nam quæ  
delictum perpetrat confiscatione dignum,  
tacite alienare censetur. leg. Imperatores. ff. de  
iure fisci. Sic Nilus tract. 1. de bannitis. part. 2.  
quest. 25. Anton. Gomez. var. resol. tit. de ser-  
uitutib.

OPAR  
MOR.  
VI. VII.  
IV



uiritib. c. 15. n. 15. Azor. 10. 1. l. 5. c. 7. q. 8. Valq. 1. 2. d. 169. c. 1. n. 9. Gigas. tr. de crimine laesae maiest. l. 2. tit. de penis committ. hoc crim. q. 12. Simanc. de Cathol. instr. tit. 9. numer. 13. Bonacin. de contr. dub. 3. question. 8. punct. ultim. numer. 18. & alij.

510  
Non publi-  
catur.

Non publicantur. Quia leg. 3. Cod. de bonis proscrip. Imperator patri, cuius filius est deportatus, concedit omnia bona castrensia, aut quasi castrensia ibi: Si filius tuus cum esset in tua potestate, in insulam deportari meruit: pecuniam eius nec quod in castris acquisiuit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet. Sed haec lex nulla alia lege est abrogata, quia solum abrogata est lex negans filiofamilias administrationem, & dispositionem bonorum castrensiu, & quod in illis non habeat haereditem, si ab intestato decedat: at horum abrogatione non inferitur abrogatio praefatae legis 3. quia stare optime potest, filium habere haereditem, & successorem, administrareque posse bona castrensia: & nihilominus si delinquat, ea patri deferri in prerogatiuam patris potestatis, & illius solatium. Ergo. Ita Inl. Clarus lib. 5. q. 78. Menoch. de recuperan. posse. rem. 9. n. 69. & 70. Couar. l. 2. var. c. 8. n. 7. Peregr. de iure fisci. l. 5. tit. 1. n. 130. Farinac. p. 1. pract. 99. q. 24. nu. 11. Fachin. lib. 9. controuers. cap. 49. Sanchez lib. 2. Decalog. c. 15. num. 4. & plurimi apud ipsos.

511  
Hoc proba-  
bilis esse  
reor.

Licet prima sententia satis sit probabilis, probabilis existimo, his haerens Doctoribus haec bona fisco non deferri, sed patri. Nam filio, familiae non est concessa facultas castrensia bona alienandi ex iure communi, sed ex iure speciali, & priuilegiato: At cui est concessa facultas iure speciali, ac priuilegiato alienandi, alienare per delictum non potest, ut tradunt communiter Doctores ad leg. si filius. Ergo.

## DVBIVM CXIV.

An reseruanda sint bona filiis per-  
petransis parentis crimen  
laesae maiestatis diu-  
inae, vel hu-  
manae?

512  
Non sunt  
reseruanda.

Reseruanda non sunt, sed sola vita ex misericordia, ut dicitur l. Quisquis, C. ad leg. Julii. maiest. & c. v. g. r. t. s. de haer. Quia ibi dicitur, tales debere esse in hoc mundo huiusmodi filios, ut eis vita sit supplicium, & mors solatium. Sic Sord. de alim. l. 1. q. 31. & pluribus relatis Sanch. l. 2. Decal. c. 16. n. 26. Multi tamen ex Doctoribus a Sanctio citati loquuntur de legitima (quod admitto) nec de alimentis iure naturae debitis.

513  
Reseruan-  
da sunt.

Sunt reseruanda. Quia id videtur exigere ius naturae. Quid enim prodest illos vita, ex misericordia donare, si necessum erit illis, sine alimentis deperire. Ita Socin. conf. 30. n. 3. lib. 1. Ripa ad l. Ex facto, §. Ex facto, n. 9. ff. Ad Trebellian. Lupus in reposit. cap. Per vestras, notab. 3. n. 15. de donat. inter vir. & vxor. Franc. Bec. conf. 8. n. 7. Amilian. conf. 139. n. 2. & conf. 164. n. 4. Farinac. l. 3. praxis, q. 115. §. 2. n. 128.

Primam sententiam eligo, fateor tamen probabilitate non carere saltem in crimine laesae maiestatis humanae, filios, etsi priuenter hereditate ac legitima patris criminosi, non tamen priuari alimentis, sed de illius bonis esse alendos. Textus expressus in l. Quisquis, §. Ad filias Cod. l. Iuliam maiest. & ibi ratio redditur huius fauoris. Quia propter sexus infirmitatem minus aures creduntur feminae, difficultusque paternos deprauatos mores imitatur. Glof. ibi, v. Filiabus. & v. Mimus auferat. Farinac. pluribus relatis, q. 115. §. 3. n. 94. Attamen & si his filiabus non debeat legitima ex bonis patris committens crimen laesae maiestatis diuinae, & humane, debetur illis dos, casu, quo aliunde non habeant. Quia iure naturae obligatur pater, filiam dotare l. fin. C. dot. promiss. Si autem pater huic obligationi non satisfecit ad haereditem suos transiit. Ergo cum filius loco haereditis succedat, parentis bonis publicatis consequenter filias dotare obligatur. Dirus ad l. Insulam, ff. solut. matrim. Barthol. ad leg. fin. C. de dotis promiss. Farinac. q. 14. n. 46. & 47. & alij.

514  
Cum his  
opinor.

## DVBIVM CXV.

Filij parentum, quorum bona publicata sunt ob haereticum crimen, possunt in foro conscientiae abscondere ad sui sustentationem alimentis, si illis non reseruentur, & grauis necessitate sint afficiendi?

Possunt quidem. Quia in illo confictu probabilissimum est, obligationem esse fisco elemosynam eis largiendi. Sic Guillelmus Benedict. ad c. Raynuius de testam. v. Et uxorem decessi, §. n. 286.

515  
Possunt  
quidem.

Non possunt, nisi extrema illi necessitate, afficiantur. Quia in hoc casu omnia sunt communia: extra eum vero nullum ius ad bona iam parentum publicata quorum fisco est dominus, habent. Ita Sanch. l. 2. De al. c. 16. num. 27.

516  
Non possunt.

Ego quidem existimo, mei Sancij vepia, non solum in necessitate extrema, sed quoties grauem inde passuri sunt necessitatem, posse ea abscondere, ac retinere, ut hoc valeant detrimere vitare. Quia praeter rationem pro prima sententia allatam (quae valida mihi est) in casu grauis necessitatis non tenetur debitor creditori debitum reddere. Bonacin. de contrah. d. 3. q. 8. punct. ultim. §. 1. n. 15. iunctis iis, quae dixit d. 1. de restit. q. ultim. punct. 1. num. 37. vbi, relatis Rebello, Navarro, Sayro, probat, obligatum cedere bonis suis, posse abscondere, & retinere, quantum necesse est ad tenentem sui, & eorum, quos alere tenetur, sustentationem, iuxta suum statum. Quia nullus ad restitutionem tenetur cum tanto suo incommodo.

517  
Primam  
eligo.

## DVBIVM



D V B I V M C X V I.

*Si mulier scienter heretico nupsit, debet-  
ne non solum in priuatione dotis con-  
demnari: sed etiam in priuatione  
aliorum bonorum qua vxoris sunt  
propri, & qua ob mariti here-  
sim obnoxia non sunt publica-  
tioni?*

<sup>118</sup>  
*Nem nulla  
punitio.*  
D Os vxoris nubentis marito heretico pu-  
blicatur, publicatis mariti bonis, si ipsa  
cognouit eo tempore, quo matrimonium con-  
traxit, illum esse hereticum *Cap. Decretis, de  
heret. in 6.* Sed hac publicatio dotis non est  
ipso facto, sed per sententiam; quia in præfato  
*cap. Decretis*, nullum est verbum, hanc pœ-  
nam ipso iure irrogans. Sanchez libro secundo  
*Decalog. cap. 17. num. 18.* A pœna omnino erit  
exempta dos, quæ marito tradita fuerit cum  
onere, vt alteri, soluto matrimonio, restitua-  
tur: tunc enim sicut quodlibet aliud fidei-  
commissum non poterit in perpetuum publi-  
cari: bene tamen pro tempore, quo mulier il-  
lo erat potitura. Bonac. d. 3. de contract. quest. 8.  
*pun. ult. §. 1. n. 1. n. 16.* Sanchez n. 19. In quæstionem  
autem verto, num si scienter heretico nupsit,  
debeat non solum in priuatione dotis con-  
demnari, sed etiam priuatione aliorum bonorū  
quæ vxoris sunt propria, quæque ob mariti  
heresim, & suorum bonorum publicationem,  
minimè publicantur?

<sup>119</sup>  
*Nem debet  
in alia bo-  
na conde-  
nari.*  
Non condemnatur in aliorum bonorum  
priuatione. Quia c. *Decretis* solum de dote lo-  
quitur: ergo in pœnalibus non est extensio ad-  
mittenda. Et quia durum videtur, eadem ge-  
nerali pœna confiscationis afficere mulierem  
scienter cum heretico nubentem, ac ipse he-  
reticus afficitur. Certe in lucro acquirendo  
nulla videtur esse turpitudine, ob quam dignum  
sit confiscatione. Sic Bonac. *ubi sup. n. 16.* Sanch.  
*l. 2. Decal. c. 17. n. 22. & alij.*

<sup>120</sup>  
*Debet qui-  
dam.*  
Potest in omnibus bonis, quæ tunc habue-  
rit tempore contracti matrimonij condemnari.  
Quia *cap. Decretis* nihil statuit expresse  
de confiscatione dotis, sed per quandam con-  
sequentiā sic confiscandam infertur casu,  
quo mulier scienter heretico nupsit. Inquit  
enim Pontifex publicatis mariti heretici bo-  
nis, non publicari vxoris dotem, nisi forte  
cum matrimonium contraxit sciuerit esse he-  
reticum. Ergo textus nihil aliud voluit, quam  
dotem à confiscatione bonorum viri exem-  
ptam esse, excepto casu, quo mulier sciuerit  
esse hereticum maritum: sed ex eo quod dos  
sic fuit exempta, probamus etiam & reliqua  
bona vxoris exempta fuisse: Ergo si in casu  
scientiæ exempta non fuit dos, in casu scientiæ  
reliqua etiam bona erunt comprehensa.  
Ita Vasq. *l. 2. d. 168. c. 1. num. 13.* Simanc. *de  
Cathol. instit. tit. 9. nu. 74.* Cantera *99. crimin.  
iii. de quest. 2. argent. punir. delict. c. 1. n. 23. & 24.*  
Fatinac. *de heresi q. 190. §. 3. n. 94.*

<sup>121</sup>  
*Idem affirmo.*  
Idem affirmo. Nam dos ibi fuit nominata  
gratia solum exempli, & quia est id, quod præ-  
cipuum, & magis proprium est vxoris: non vt  
*Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

dispositio ad solam dotem sit coarctata. Alias  
sola dos, & non bona paraphernalia, & spon-  
salia largitas in casu ignorantia erunt ex-  
clusa, quod est omnino falsum. Ergo in casu  
scientiæ dos, & reliqua bona vxoris compre-  
hendentur.

D V B I V M C X V I I.

*Maritus ducens feminam quam certo no-  
uit hereticam esse priuandusne est,  
ob hoc delictum, sicut  
de muliere re-  
solui?*

<sup>522</sup>  
P Riuandus non est. Quia textus in *cap. De-  
cretis* loquitur de dote, maritus autem do-  
tem non habet. Et quia mulier ob eius fragi-  
litate, facilitate, & ad maritum subie-  
ctionem grauiori peruersionis periculo se  
exponit, nubens heretico, quam hereticam  
fœminam vir Catholicus ducens: Ergo cum  
non sit adæquate eadem ratio dispositionis in  
viro, ac in muliere, non est, cui eadem  
pœna mulctetur. Sic Sanchez libro secundo  
*Decalogi cap. 17. numer. 23.* Bonacin. *d. 3. de  
contract. quest. 8. punct. ultim. Parag. 1.  
num. 16.*

<sup>523</sup>  
Priuandus est. Quia in illo *cap.* solum di-  
citur mulierem nubentem heretico dotem  
non perdere, nisi forte scienter heretico  
nupsit: in quo casu non subiungit Ponti-  
fex debere dotem perdere, sed id tacite  
innuit, vel potius dispositioni communi  
relinquit. Quare cum hac pœna non sit  
ipso iure lata ob huiusmodi crimen, sed  
per sententiam imponenda: & præcipua  
huius dispositionis causa sit præsumptio hæ-  
resis in muliere sic nubente: si eadem præ-  
sumptio in viro adfit, eodem modo ad ami-  
ssionem bonorum poterit condemnari. Ita  
meus doctissimus amicus Ferdin. de Castro,  
*de tractat. 4. dubio quinto punct. 12. nu-  
mer. 16.*

<sup>524</sup>  
Huius Doctoris autoritas me ad hanc  
defendam sententiam adduceret, licet  
primæ sententiæ fundamenta magis vr-  
gerent. Fateor tamen à me haud satis  
validas iudicari. Iam enim videmus, sub  
nomine dotis bona vxoris fuisse illo in  
*cap.* comprehensa. Et quia esto ob facili-  
tatem sexus & ad maritum subiectionem ad-  
sit in fœmina grauius, quam in viro per-  
uersionis periculum: at in viro ob passionem  
amoris grauius solet adesse. Quapropter  
tempore antiquo ita grauius prohibuitur  
Iudæis erat, alienigenas ducere: *Certis-  
sime* (Textus ait) *anert. corda vestra.* Et  
quidem si clausula *capitis Decretis* bene pon-  
deretur, non imponitur pœna amissio-  
nis dotis mulieri scienter heretico nuben-  
ti, sed iuris communis dispositioni relin-  
quitur.

G D V B I V M

OPAR  
MOR.  
VI. VII.  
IV



## DVBIVM CXVIII.

An quoties publicatur dos ob delictum uxoris, publicaturne quoad visum fructum, cum ei pena mortis non imponitur, sed vna viro traditur?

525 Publicatur dos quoad proprietatem solum, non quoad usufructum. Quia dos quoad usufructum videtur tunc ad vitam pertinere: traditur enim viro pro oneribus matrimonij. leg. *Dotis fructus ff. de iure dotium. leg. Pro omnibus. Cod. eodem titul.* Sed fiscus non occupat bona, quæ aliena sunt à delinquente: Ergo nec potest dotis usufructum occupare. Profecto ob alienum delictum non debet vir innocens puniri: puniretur autem si usufructu priuaretur, & obligatus esset uxorem alere. Ergo nec est dicendum, confiscationem ad usufructum dotis constanter matrimonio extendi. Sic est dubius, & relinquens cogitandum Palac. in repet. rubr. *de donat. inter vir. & vxor. §. 66. Lupus eadem rubr. §. 66. numer. 23.* Et Bonacin. probabile reputat dub. 3. *de contract. question. 8. punct. ultim. §. 1. numer. 17.*

526 Quoad visum fructum etiam publicatur. Publicatur dos non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad usufructum. Quia in dubio lex, vel dispositio referens se ad aliqua bona, intelligi secundum proprietatem, & usufructum, leg. *institueres. ff. de ver. b. signif. leg. Vi deamus, §. in Fabiana, de usuris leg. In condemnatione, de reg. iuris.* Cum autem nostri Regni lex ob quodlibet delictum uxoris dicat, dotem, vel eius partem posse confiscari: & secundum ius commune ob quinque delicta (nempe ob crimen læsæ maiestatis, ob vim publicam, ob parricidium, ob veneficium, & Sicariatum l. *Quinque legibus, ff. de bonis damnat.*) confiscanda venit, efficitur secundum proprietatem, & usufructum venire. Ita Matienzo leg. 11. tit. 9. l. 5. *recopil. glos. n. 4. Azunedo ibi, n. 5. Anton. Gomez leg. 78. Tauri, n. 6. Castillo n. 2. Sanch. l. 2. Decal. c. 17. n. 31.* & in crimine hæresis, Rojas *singul. 127. Zanch. tr. de hæres. c. 25. nu. 4. Lelius Zechius sum. p. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, c. 16. Farinac. de hæresi, q. 190. n. 54.*

527 Hanc sententiam vovivem esse credo. Veriorem hanc sententiam esse iudico. Fa-teor enim, dotem ad onera matrimonij subeunda dari: at si mulier suo delicto dotem amisit, onus, quod subierat maritus illam alendi, cessat. Sicuti cum dos promissa est, & non soluitur, non obligatur maritus uxorem alere: ita non obligatur, cum mulieris culpa dos auferatur. Tota tamen obligatio in parentes refunditur. Molina l. 2. *de primogen. c. 16. nu. 24.* Quod si hi alere eam non possint tunc ratione solius vinculi coniugalis, & amoris mutui vir eam alere tenebitur.

## DVBIVM CXIX.

An possit confiscari quoad proprietatem, & usufructum, si pactum esset inter virum & uxorem, ut perpetrante uxore hæresis delictum, eo ipso ad virum proprietatem, & usufructum dotis deveniret?

528 Confiscari potest, nec ab illo pacto confiscatio impeditur. Quia illud pactum derogat legi communi statuenti confiscationem bonorum delinquentis: Ergo nullum est iuxta leg. *visu publicum, ff. de pactis.* Sic Barbola ad leg. *si constante, 25. ff. soluto matrimo. §. si numer. 1. Sanchez lib. 2. Decalog. capit. 17. numer. 32.*

529 Non potest confiscari, Quia tunc dos prohibetur alienari expresse, & non in delinquentis favorem, cum vxori delinquenti non applicetur: neque in fraudem fisci, cum non sit post delictum commissum, sed casu quod committeretur. Ita Baiard. addit ad Clarum lib. 6. *question. 78. mm. 63. Peregrin. de iure fisci libro quinto titulo primo numer. 83. & 118. Farinac. alios referens de hæresi, quest. 25. mm. 15.*

His hærens, exitimo, tale pactum fir-mum esse, & maritum ratione illius ius habere quæritum ad dotem, & fisco esse præferendum.

## DVBIVM CXX.

An quando delictum confiscationem habet annexam, delinquens ipso facto priuatur suorum bonorum dominio?

530 Ipso facto priuatur. Priuatur ipso facto. Quia perpetrans delictum, ob quod bona sunt fisco addicta ipso iure, priuatus est potestate libera alienandi, & administrandi sicut antea habebat, quod in crimine læsæ maiestatis humanæ est manifestum leg. *Ex indiciorum 20. ff. de accusationib. & in crimine hæresis in comperto est apud omnes ex cap. Cum secundum leges, de hæres. in 6.* Sed dominium nihil est aliud, quam ius vten-di re propria, tanquam propria: Ergo cum delinquens ob crimen hoc ius amisit, amittit & dominium. Porro si in crimine hæresis non amitteretur dominium à die commissi criminis, frustra Pontifex in cap. *Cum secundum leges* prohiberet Principibus secularibus occupare delinquentium bona, quovisque Episcopus, vel alius Ecclesiasticus habens potestatem, proferat sententiam super tale crimen: siquidem certum est, retento dominio alicuius rei, non posse à domino rem auferri, quovisque per sententiam sit priuatus. Sic Anton. Gomez *de delict. capite secundo numero primo Burlat. conf. 14. numero tertio Decian. lib. 5. cap. 20. n. 5. Farinac.*



Farinac. loquens de hæresi. *question. 190. s. 5. n. 68.* & alij plures relati à Sancio *lib. 2. Decal. capit. 2. n. 2.* Azor *tom. 1. lib. 5. capit. 7. quaest. 2.*

531 Non priuatur ipso facto. Quia delinquens commisso crimine, & ante sententiam, non tenetur (vti sequent. Dub. videbimus) se bonis priuare, ac fisco offerre, ex communi sententia: Ergo signum est, dominium retinere. Nam si dominium esset fisco translatum, absque eius voluntate à delinquente bona retineri non possent: nulli autem constat de tali fisci voluntate: ergo dicendum est, retentionem pronenire ex eo quod delinquens dominio non fuerit priuatus. Ita Valquez *1. 2. d. 170. toto c. 3.* Sanchez *lib. 2. Decal. c. 22. n. 3.* Molina *tom. 1. de iust. d. 95. vers. Dubium vero est.* Henriquez *lib. 13. c. 56. n. 2.* Peregrin. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. n. 171.* Anton. Fab. *coniectur. iuris lib. 7. capit. 20.* Fachin. *lib. 9. controu. cap. 35.*

532 Verum vt cum Suario de fide, d. 20. sect. 3. auitoris nu. 6. loquar, dissensio inter has sententias æque quidem probabiles, potius de nomine, quam de re esse videtur, si effectibus huius confiscationis consentiamus. Certum enim est, à die commissi criminis ita bona delinquentis esse obligata fisco, vt possit fiscus, secuta sententia, illa bona recuperare à quocumque possessore. Ergo signum est delinquentem amisisse ius, quod debebat transferendi plenè sua, bona in quemcumque possessorem, & aliquid ius fisco esse translatum. E contra verò delinquens ante sententiam retinere illa bona potest, illisque frui & vt: ergo non amisit omne dominium, seu ius vtendi, quod antè habebat. Quo circa diximus, dominium translatum esse in fiscum à die commissi delicti: remanere autem apud delinquentem dominium vile Quia distinctio præfatas sententias iudico conciliari.

DUBIVM CXXI.

An confiscatio obliget delinquentem, cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisco ante sententiam tradere?

533 Obligat quidem. Quia delinquens absolute priuatus est dominio suorum bonorum à die commissi delicti: alias enim possideret, & retineret bona contra voluntatem fisci, qui illorum est dominus, quod est illicitum. Sic Anton. Gomez *tom. 3. variar. c. 2. num. 5.* Tiraquel. pluribus relatis, *ad leg. Si inquam, verb. Reuertatur, num. 3. 68.* & alij antiquiores, quos allegat Castro *lib. 2. de leg. panali, capit. 10. & 11. & lib. 2. de iust. hæret. punit. capit. 5. & 6.*

534 Minime obligat. Quia licet Princeps in vno, vel alio casu possit obligare delinquentem, vt in se ipsam pœnam grauem, & acerbam exequatur: obligare per legem ad eius executionem, extra potestatem legislatoris Escobar, & Mendoza, *Theol. Moral. Tom. VI.*

est: nam bono communi non expedit talis obligatio, cum sit humana infirmitati contraria, & multis transgressionibus exposita: At si delinquens, commisso delicto, obligaretur bona fisco tradere, obligaretur grauem in se exequi pœnam: Ergo dicendum non est, hanc ei posse per legem imponi obligationem. Ita Nauar. *Sum. cap. 23. num. 66.* Couar. *4. Decretal. part. 2. c. 6. s. 8. m. 10.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 9. a. num. 161. ad 252.* Anton. Gomez sibi contrarius *lib. 3. var. c. vlt. m. 3.* Pegna *Dir. rel. p. 3. commen. 1. 8.* Valq. *1. 2. d. 170. c. 3.* Azor. *tom. 1. s. c. 7. q. 1.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 22. n. 7.* Suar. *de fide, d. 22. sect. 4. m. 4.* Farinac. *de hæresi, q. 190. num. 23.*

Hoc mihi probabilius. Nam leges imponentes hanc confiscationis pœnam, non priuant delinquentem expresse suorum bonorum possessione: Ergo non tenetur delinquens se possessione priuare; quia possessione nunquam quis priuatus censetur, etiamsi dominio priuatus sit. Anton. Gomez *to. 3. variar. c. 2. de delict. d. 3.* Cantera *qq. crim. rubr. de hæret. c. 1. n. 16.* Farinac. alios referens *q. 25. n. 15.* & *de hæresi, q. 190. n. 85. ad l. Cum heredes, ff. de acquir. posses.* Ex qua ratione fit satis contrario fundamento.

535 Probabilius hoc mihi.

DUBIVM CXXII.

An confiscatio ipso iure ob delictum hæresis imposita, impediat vt delinquens valide possit sua bona alienare?

Impedit quidem. Quia l. Manicheos, s. Præterea, c. de hæret. & vlt. c. ad l. Iuliam maiest. tollitur à delinquente alienandi facultas, & additur, tales alienationes valere non debere. Item traditur in nostro Regno *l. 4. tit. 2. p. 7.* Quibus legibus fauet sententia illa asserens, delinquentem ob delictum commissum priuatum esse suorum bonorum dominio: Ergo non potest valide alienare. Sic Simanc. *de Cathol. instit. tit. 9. n. 25.* Peregrin. *de iure fisci, l. 5. r. i. n. 166.* Bossius *in sua, pract. de bono publi. nu. 76.* & alij relati à Sancio, & Farinacio afferendis.

536 Impedit quidem.

Non impedit. Quia delinquenti ante condemnationem interdicta non est bonorum suorum administratio: sed legitimam administrationem sequitur potestas alienandi: Ergo delinquens potens est alienare, & consequenter valide alienat. Ita Valquez *1. 2. d. 271. capite secundo numero nono* Azor. *tomo primo lib. 5. cap. 7. q. 7.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 22. nu. 50.* Suar. *de fide, d. 22. sect. 4. n. 3.* Farinac. *de hæresi, q. 190. nu. 72.* & alij apud ipsos.

537 Non impedit.

Probabilius existimo alienationes à delinquente factas, quouis titulo fiant, esse validas: venire tamen per sententias annullandas. Quia à die commissi delicti ea bona sunt fisco adiecta, ac quasi in hypothecam tradita, ac proinde in quemlibet possessorem cum illo onere transferunt. Hoc enim adminus probant leges prohibentes

538 Existimo, validas esse sed per sententiam annullandas.

TOBAR  
MOR.  
VI. VIII.  
IV



his delinquentibus alienationes. *leg. Ex iudiciorum. ff. de accusat. leg. Manicheos. §. praeterea, C. de heretic. Probant quidem non posse delinquentem firmiter, & irrevocabiliter alienare. Quapropter lata sententia confiscatio retrotrahitur à die commissi delicti, ac si illo die sententia lata fuisset & bona alienata ab illo die devoluntur ad fiscum, etiam si ad plures possessores pervenissent, seclusa praescriptione, de qua mox. Quod verum est, etiam si bona fide quis à delincente receperit ignorans prorsus delictum. Quia hæc ignorantia, & bona fides non tollit, rem acceptam obligatam esse fisco: ac proinde non infirmat ius fisco acquisitum.*

cum spatio quadraginta annorum, & non minori praescriptio concedatur, illi standum est.

D V B I V M C X X I V .

*Cum certum sit, si pretium alienationis, quod heretico soluit quis pro bonis diuendis formaliter, vel aequivalenter in potestate delinquentis existit, debere à fisco reddi cum alienatio rescinditur: diciturne pretium in potestate eius existere, si id in necessariis ad vitam insumpsit?*

D V B I V M C X X I I I .

*Si voleat quis retinere, quod à delincente (cuius bona publicata sunt) alienante ante sententiam accepit, potestne se praescriptione defendere: id an illa debet necessario esse quadraginta annorum?*

539  
Status qua-  
sionis.

**N**on potest fisco bona, quæ delinquens ante sententiam alienavit, ab accipientibus recuperare, si se legitima praescriptione defendant, ex cap. fin. de praescript. in 6. 2. Cod. de apofat. leg. In omnibus, Digestis de iure fisci. & in confesso est apud omnes. At controuersia est inter Doctores, quod tempus sufficiat ad huiusmodi praescriptionem, num sit necessarium quadraginta annorum esse?

540  
Non debet  
necessario  
esse quadra-  
ginta anno-  
rum.

Non est necessarium, sed sufficit esse minoris admodum temporis, verbi gratia, aut quinque, aut decem, aut viginti, aut triginta. Sic varij Doctores varie opinantur. Lege Bartholum l. C. de Veligal. Farinacium p. i. practicar. q. 10. nu. 81. & q. 25. n. 158. & de heresi, q. 190. nu. 119. Anton. Gomez tit. de confisc. nu. 5. & alios.

541  
Debet gmi-  
nino.

Necessarium est in crimine hæresis spatium quadraginta annorum, ut possessor praescribat bona delinquentis aduersus fiscum. Quia id expresse habetur in cap. 2. de praescript. in 6. ibi: *Nisi spatium quadraginta annorum fuerint bona fide possessa.* Ita Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 22. n. 40. citans plures. Farinac. locis citatis. Fachin. lib. 9. controuer. c. 54. Molina de iust. to. 1. d. 75. vers. Hinc inferi. Palao tr. 4. de fide, d. 5. pu. 19. n. 6.

542  
Mibi hoc  
certum, &  
aliquorum  
reicio li-  
mitationē.

Mihi hoc certum. Scio tamen, nostram sententiam à Couarruua 4. Decret. p. 2. 6. §. 8. nu. 16. Antonio Gomez tom. 3. var. cap. vltim. nu. 5. & aliis limitari, ut procedat, cum bona heretici fisco Ecclesiastico sint applicanda: secus cum fisco seculari. At non admitto limitationem, sed indistincte affirmo spatium quadragenarium ad hanc praescriptionem requiri, siue fisco Ecclesiæ, siue seculari bona applicentur. Quia in delictis Ecclesiasticis puniendis, standum est potius dispositioni iuris Canonici, quam civilis. At est certum crimen hæresis Ecclesiasticum esse, cap. Vi Inquisitionis. Paragraph. Prohibemus, de heret. in 6. Ergo cum secundum ius Canonici

**S**I per donationem gratuitam quis accipit hæresis bona, nullis sumptibus factis, nihil ei à fisco relinquendum, cum rescinditur alienatio. Quia ipse nihil ex propriis amittit, & reuocatio hunc effectum habet, ut rem ad priorem reducat statum, efficiatque, ac si nunquam res alienata esset. Si autem contractu oneroso, nempe venditione accipit, & pretium datum formaliter, vel æquivalenter apud delinquentem existit, emptori est reddendum, cum re vendita sibi à delincente priuatur. Quia fisco solum habet ius dissoluendi contractum, & recuperandi bona, quæ sibi sunt obligata: Ergo non potest simul habere ius occupandi pretium ab innocente datum. Quia non est delinquentis, nisi dum contractus factus firmus existit, & res vendita non vendicatur. Quare dissoluto contractu, & re vendita vendicata, debet pretium ad innocentem redire. In his omnes Doctores conueniunt. Queritur iam, an censetur existere pretium apud delinquentem, si ex illo necessaria ad victum, & alia huiusmodi empta sunt, quæ tamen casu perierunt?

Censetur, in eo casu, existere. Quia æquivalenter pretium extat apud delinquentem, quoties propriis bonis rationi illius delinquens parcat. At ob pretium receptum ab emptore pepercit delinquens propriis bonis, quæ necessario erat consumpturus ad victum, & vestitum comparandum, si pretium non recepisset. Ergo. Sic Simanc. de Cath. instr. tit. 9. nu. 38. Azor. to. 1. l. 5. cap. 7. q. vltim. Farinac. de heresi, question. 190. numer. 28. Bonacin. de contr. dnb. 3. quæst. 8. pun. vltim. §. 4. numer. 2. Sanchez lib. 2. Decalog. capit. 22. numer. 71.

Non censetur pretium existere apud delinquentem. Quia tempore, quo contractus ille rescinditur, non verificatur, pretium illud apud delinquentes extare etiam æquivalenter, cum neque in eius utilitatem, neque in utilitatem fisci versum fuerit. Ita Valquez de legib. dnb. 172. capite secundo numero nono.

Profecto utraque sententia verum asserit, & facile ad concordiam adduci ille possunt. Si enim delinquens è pretio accepto emit rem, quam sine dubio emeret, etiam si pretium non accepisset, credo, pretium publicandum non esse, sed reddendum emptori. Quia ex illius redditione non inferretur fisco

543  
Nonnulla  
suppono.

544  
Censetur  
existere pre-  
tium.

545  
Censetur  
certum esse  
stere.

546  
Utraque se-  
ntentiam ad  
concordiam  
adducit.



fiscum maiori patrimonio fuis, quam fructur, si contractus ille, qui rescinditur, factus non esset; taleque pretium moraliter censetur existere tempore, quo contractus rescinditur, quatenus in delinquentis utilitatem versum est: siquidem ratione illius, propriis bonis, que debebat consumere, pepercit. At si ex pretio accepto ab emptore, rem ipse emit, quam non emeret, si contractum priorem non celebrasset, neque pretium accepisset: iudico tunc non esse restituendum pretium emptori. Quia absolute non est verum, in delinquentis, vel fisci utilitatem esse consumptam.

DVBIVM CXXV.

*Rem à delinquente venditam potestne fisco ab emptore vindicare, quando hic non probat, rem in delinquentis cessisse utilitatem?*

<sup>447</sup> *Novella suppono.* **S**uppono, onus probandi, pretium versum esse in delinquentis utilitatem, non ad fisco, sed ad emptorem, qui pretendit sibi restitui; pertinere. Quia fisco ius certum possidet adversus omnia bona, que in possessione delinquentis reperiuntur. Emptor ergo si pretendit hoc certum ius imminuere ob contractum celebratum, probare debet, ex eo pretio delinquentem ditiozem euasisse, alias proculdubio succumbet. Azor. *tom. 1. lib. 5. c. 7. questio. ultim.* Sanchez alios referens *lib. 2. Decalog. c. 12. numer. 60. & 69. Valquez c. 9. de testam. Paraph. 4. dub. 6. Molina tom. 1. dub. 95. vers. Licet autem.* Questio igitur est, an rem à delinquente venditam possit fisco ab emptore vindicare, nullo restituto pretio, quando ille non probat, pretium in delinquentis cessisse utilitatem?

<sup>448</sup> *Non potest.* Non potest. Quia iuxta receptionem sententiam contractus ille emptiois & venditionis validus fuit, licet veniat rescindendus: Ergo communicavit emptori dominium rei venditæ à delinquente. Igitur emptor privari illa non potest nisi pretio restituto. Sic Alciat. *ad leg. Post contractum nu. 21. ff. de donationib. Roman. ibi. nu. 3. Imola n. 1. Cynus ad leg. fin. C. ad leg. Juliam maiest. & alij relati à Sigismundo Scaccia tractat. de iudic. capit. 98. nu. mer. 13.*

<sup>449</sup> *Potest quidem.* Potest quidem fisco pretio non reddito possidenti, rem sibi integre vindicare. Quia hæretici bona, que ipso iure ob delictum hæretis publicantur, à die commissi delicti sunt fisco obligata, & hypothecata: ergo potest fisco ea repetere, ac vindicare vbiicumque inuenerit, etiam pretio non soluto pro tali vindicatione, si pretium inter bona delinquentis non existit, vel emptor existere non probauerit. Consequentiam proba, quia tunc fisco debet dare pretium ex propriis bonis: at si fisco teneretur possidenti rem dare ex propriis pretium pro rei vendicatione, non vendicaret rem tanquam sibi obligatam, sed illam absolute emeret: Ergo dicendum est posse *Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

absolute vindicare rem sibi debitam, nullo pretio soluto. Ita Simanc. *de Cathol. instit. titul. 9. numer. 17.* Ant. Gomez *tom. 3. variar. c. 2. num. 2.* Gabri. Quemada *qu. 7. num. 1.* Scaccia *de iudic. c. 98. n. 13.* Azor. *to. 1. l. 5. c. 7. q. 8. Sanch. l. 1. Decal. c. 22. n. 68.* Suar. *de fide, d. 22. sect. 4. nu. 9.* Farinac. *de hæresi. questio. 190. num. 76.*

Hanc sententiam probabiliorē esse existimo. Nam possessor illius rei fisco obligata illam possidet eo modo, ac delinquens possidebat, quia ius quod delinquens habebat, id ipsum & non aliud in possessorem transiit. Sed delinquens ita possidebat rem, vt nullo pretio accepto pro ipsa, poterat à fisco occupari: Ergo similiter dicendum est, idem fieri posse in possessore, cum pretium ab eo datum neque formaliter neque eminenter probat apud delinquentem existere.

<sup>550</sup> *Probabilior est hanc sententiam esse iudico.*

DVBIVM CXXVI.

*An confiscatio bonorum delinquentis condempnati in contumaciam ob causam fidei sit facienda à tempore late sententiae, an à tempore, quo probationes signant, delictum fuisse perpetratum?*

<sup>551</sup> **B**ona huiusmodi delinquentis non publicantur à die, quo testes deponunt, eum in hæresim incidisse: sed à die qua damnatur tanquam contumax, vel à purgatione indicta defecit. Quia contumax non habetur pro confesso, & convicto, neque vt talis condemnatur nisi à die quo perfecta est contumacia, vt habetur in *cep. Cum contumacia, de heret. in 6. cap. Excommunicamus, §. Qui autem eodē tit.* Ergo solum ab eo die bona illius censerī debent publicata. Sic Gabr. Quemada *qq. fiscal. questio. octava Simanc. de Cathol. instit. titulo nono numer. 26.* Menoch *libro secundo consil. 159. numer. 19.* Couar. *ad cap. Alma mater p. 1. §. 7. numer. 11.* Sanchez *l. 2. Decal. c. 22. num. 31.*

<sup>552</sup> *Facienda est confiscatio à die quo delinquens damnatur, nec à die depositionis testimonium.*

Publicatio bonorum est facienda à die, qua delinquens damnatur tanquam contumax; sed à die quo testes deponunt, hunc contumacem in hæresim incidisse. Quia qui condemnatur vt contumax, non condemnatur propter contumaciam, & inobedientiam, quam Prælati Ecclesie habuit, eorum mandata transgrediens, non comparendo: sed condemnatur ob delictum hæresis, quod præsumitur incurrisse, & pro quo citatus fuit, vt responderet: sed delictum hæresis non iudicatur incurrisse in die, quo sententia condemnatoria profertur; sed in die quo testes deponunt reum exercuisse actum, ex quo talis suspicio exurgit: Ergo ab illo die est publicatio bonorum facienda. Ita Farinac. *de hæresi. questio. 190. §. 12. numer. 21.* Castro Palao *tractat. 4. de fide, dub. 5. 21. nu. mer. 1.*

<sup>553</sup> *Non est facienda à die qua delinquens damnatur sed à die depositionis testimonium.*

Probabilis quidem prima sententia est, secundam autem probabiliorē esse iudico. Discursus enim Farinacij legitimus est.

<sup>553</sup> *Probabilior secunda sententia est.*

OBAR  
Mor.  
VI. VII  
IV



est, nam publicatio bonorum delicto hæresis est annexa. Minor quidem Syllogismi per se videtur manifesta. Nam licet conuictus à die cõmunicatæ probatæ condènatur vt hæreticus, ratio condemnationis est hæresis delictum, de quo suspectus fuit, & pro quo fuit citatus respondere. Hoc autem delictum non commisit, cum respondere noluit, sed quando testes deponunt. At quia probatum id non erat, iudicari non poterat, neque declarari: facta autem probatione, ex tunc declaratur, licet declaratio non ad delictum tempore declarationis commissum, sed patratum multo tempore antea, extendatur.

## DVBIUM CXXXVII.

*Hæreticus penitens, & Ecclesie reconciliatus, potestne testari de bonis acquisitis post abiurationem?*

<sup>554</sup> *De pena incapacitatis testandi.* Inter penas hæretico præscriptas testandi incapacitas enumeratur, c. *Excommunicamus* 1. §. *credentes, de hæret. ibi: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem.* Qui textus licet de fautore hæreticorum loquatur à fortiiori de ipso hæretico est intelligendus: & tradunt omnes. Difficultas est, num hæreticus penitens & Ecclesie reconciliatus testari possit de bonis post abiurationem acquisitis?

<sup>555</sup> *Testari non potest.* Non potest testari. Quia ex præfato c. *Excommunicamus* absolute intestabilis redditur. Sic Farinac. *de hæres. q. 190. n. 93.* Repertor. Inquisitor. v. *Pæna, v. Item an hæreticus reconciliatus.* Ioan Calder. *tr. de hæret. rubr. de pænis. hæret. filior. & nepotum. n. 3.*

<sup>556</sup> *Potest testari.* Testari de his bonis potest. Quia solummodo redditur intestabilis de bonis confiscationi subiectis, vt pote quæ non sunt delinquentis, sed filii: At confiscatio non extenditur ad bona futura, & post sententiam acquisita: ergo neque impotentia testandi ad illa debet extendi. Ita Palao *tract. 4. de fide, disp. 5. part. 26. num. 1.* Sanch. alios referens *lib. 2. Decalog. cap. 24. n. 4.* Vasquez *opusc. de testam. c. 9. §. 1. num. 26.*

<sup>557</sup> *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Cui fauere existimo leg. *regiam quarum Tauri lib. 3. titul. 4. libr. 5. recopil.* Vbi de bonis confiscationi non subiectis datur facultas testandi quibuscumque reis. Porro bona post abiurationem acquisita certum est non subesse confiscationi.

## DVBIUM CXXXVIII.

*An hæreticus tempore hæresis priuetur successione ex testamento vt incapax illius, an vt indignus solum?*

<sup>558</sup> *De priuatione successione hæretici.* Præterea pena hæretici enumeratur priuatio successione ex testamento, c. *Excommunicamus* el. 1. §. *credentes, de hæret. ibi: Nec ad hereditatis successionem accedat.* Quæsierim verò, an ita hæreticus priuetur successione ex testamento tempore hæresis, vt illius incapax

fit, vel solum vt indignus? Nam si incapax est successione omnia, quæ illi deferuntur, aut relinquantur, non fisco, sed venientibus ab intestato proueniunt, *l. si quis mihi bona, §. si quis plane, ff. de acquir. heredit.* Si autem est incapax, sed indignus, fisco, & non venientibus ab intestato applicatur. *l. Papinianus, §. Meminisse.*

Hæreticus, durante hæresi, incapax est omni successione, & legatus, nõ solum indignus. Quia c. *Excommunicamus citato* aperte dicitur. *Ne successione vt incapax, vt indignus, que ad hereditatis successionem accedat.* Et licet de creditibus, fautoribus, & receptatoribus hæreticõ loquatur, quando excommunicatione notati sunt, & contemnunt intra annũ satisfacere non obstat quominus de hæreticis efficacius intelligatur. Quia hæreticus est fictione iuris, qui ob fauoriam hæresis excommunicatione notatur, & intra annum satisfacere contemnit. Si ergo de hoc hæretico intelligitur, à fortiiori intelligendus est de illo qui verè ac propriè hæreticus est. Sic plures Doctores, quos refert Farinac. *de hæres. q. 190. n. 83.* Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 14. numer. 32. & 33.*

Hæreticus, durante hæresi, priuatur successione vt indignus, non vt incapax, ac proinde ante sententiam non tenetur hæredibus, nec fisco restituere: posita tamen sententia ea omnia ab illo fisco tanquam ab indigno auferunt. Quia nullo ex textu iuris communis hæc incapacitas est statuta. Ita Sanchez *citato. Imola de testam. cap. 2. n. 44. Lessi. l. 2. de iust. cap. 19. dub. 5. n. 52. Moli. to. 1. de iust. d. 154. Azor. to. 1. 5. cap. 8. qual. 1. Rojas singul. fidei, 79. num. 2. Decian. *pract. crimin. libr. 5. cap. 44. numer. 17.**

Ego autem censeo, neque iure regio, neque iure communi expresse probari incapacitatẽ hæretici, occultam ac succedendam, vtque dum per sententiam non declaratur. Nihilominus autem in consulendo, & ac iudicando à prima sententia communi non esse recedendum, sed absolute affirmandum hæreticum durante hæresi omnino esse cuiuslibet successione, ac legati incapacem: neque fisco in tali hereditate locum habere, sed applicandam esse hæredibus ab intestato. Reputari tamen, hoc limitandum esse, vt non procedat in hereditate, ac legato relicto ei, quem seis esse hæreticum. Quia tunc in penam peccati, quod incapacem, vel saltem indignum institueris, poterit fisco hereditatem, & legatum occupare. leg. *Que de Samaritanis. Cod. de hæret. ibi: Delatam ipsius successionem vendicat fisco.* Interim tamen quod fisco non pronunciat sententiam, hæredibus ab intestato applicatur. Simanc. *de Cathol. in iust. titul. 46. numer. 56.* Azor. *tom. primo libro quinto capite octauo questione prima & libro octauo cap. 12. questione octaua Farinac. de hæres. question. 190. numer. 104.* Sanchez *libro secundo Decal. cap. 14. numer. 38. & 39.*



DUBIVM CXXIX.

An attento rigore iuris, hæreticus incapax sit donationis, sicut incapax est hereditatis, & legari?

<sup>160</sup> *Incapax est rigore iuris.*  
 Idem iuris est de donatione atque de hereditate, & legato: unde incapax est hæreticus, hæres durante, cuiuslibet donationis inter vivos, & donanti reddendum est, neque per fideum publicandum, nisi in casu, quo donans sciret hæretico donare. Quia id decernit lex *Arriani*, §. *Cunctis*, *Codice de hæret.* ibi: *Sine de donationibus hæreticorum conventicula, sine ex ultima voluntate, &c.* Fauet. *Cap. In eos, de hæret.* ubi prohibetur Episcopis, & Clericis aliqui hæretico conferre, ibi: *Nihil conferant, quò tam de vltima voluntate, quam de donatione inter vivos Glossa intelligit.* Sed ratio prohibitionis alia esse non potest nisi hæretici incapacitas: ergo hæreticus incapax est cuiuslibet donationis, sicut, & successionis, & legati. Et iure nostro Regio hoc videtur comprobari. *lege 5. titul. 25. parti. 7. ibi: Apostata non pueat ser establecido de otros por heredero en ninguna manera, e manda, e donacion, que le obiesen fecho, o que el si iesso a otro, non valga de de aquel dia, que el apostato.* Sic *Hoftien. ad Cap. In eos, de hæret. verb. Nihil conferant.* *Marian. Socin. ibi. num. 3. & 4. Bonif. de Vitalinis rubr. de crimin. hæres. num. 6. Quemada questionum fiscalium, questione 18. Azorius tomo primo, libro quinto, capite octavo, questione prima, & libro octavo, cap. 1. 2. quæst. 8. Farinac. de hæres. qu. 190. num. 196.*

<sup>163</sup> *Non est incapax attento rigore iuris.*  
 Attento iuris rigore, incapax non est, sed valida est donatio hæretico facta, nec ipse ante sententiam obligatus est restituere: illa vero secuta, fisco pertinet huiusmodi donatio. Quia nullus est textus, qui hanc donationem annullat. Nam textus in *l. Arriani*, non probat donationem inualidam esse; sed non debere fieri non quia hæreticus incapax sit, sed quia est indignus. Et idem est de textu in *cap. In eos.* Leges autem nostri Regni clarius indicant non valere: at cum non addant, *ipso iure*, vel *ante sententiam*, non est, cur sic actum annullemus. Quia in casu dubio, pro valore actus standum est. Ita *Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 14. numer. 36. Palao tractat. 4. de fide, d. 5. punct. 26. numero 11.*

<sup>164</sup> *Et probatio.*  
 Hoc probabilius esse crediderim, adiciens, non eodem modo nostri Regni leges procedere in successione ex testamento, ac in donatione. Nam in successione ex testamento vtuntur verbo, *Non potest. ibi. No puea ser establecido por heredero. No le puea ser dejada manda en testamento.* Quod quidem verbum indicat annulationem actus ob defectum potentie. At in donatione tale verbum non inuenitur, sed solum dicitur, *No val.*

DUBIVM CXXX.

An serui Christiani exempti ex præscriptio legis ab obsequio domini hæretici: tunc obtineant absolute libertatem: an debeant in fisci dominium transire cum reliquis bonis confiscatis?

<sup>165</sup> *Hæreticus*  
 Lia hæreticorum pœna est priuatio domini in seruos. *Cap. Absolutos, de hæretic.* ubi dicitur, *Absolutos se nonerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequij, quicumque lapsis minio in manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque seruos, firmitate vallato, tenebantur adstricti.* Quæsitur verò, an tunc serui exempti ab obsequio domini hæretici obtineant absolute libertatem, an vero in fisci dominium cum reliquis bonis confiscatis transeant?

<sup>166</sup> *Non eximitur absolute à seruitute, sed vt. asit in fiscum.*  
 Christianus seruus non obtinet absolute libertatem, sed transit in fiscum, quia nullus est textus hanc illi libertatem concedens: nam *cap. Absolutos*, solum eximit eos à debito obsequio domini, sicut vasallos eximit à debito fidelitatis, quod stare optime potest, etiam si fiscus in dominio succedat: sicut stat exemptio vasalli à debito fidelitatis debet domino hæretico, etiam si alteri Principi sublatum. Sic *Ioan. Andr. Geminian. Francus, & alij ad cap. quicumque, §. vltim. de hæretic.* *Ioann. Annani. & Marian. Socin. ad Cap. vltim. de hæretic.* Et *Sanchez lib. 2. Decal. capit. 24. numer. 9.* probabile reputat.

<sup>167</sup> *Absolute eximitur.*  
 Seruus Christianus à seruitute omnino eximitur. Quia esto hæc libertas seruis Christianis non sit in iure expressa: at est factis insinuat in *Cap. Manicheos, Codice de hæretic.* Si enim seruus alicuius hæretici inscipiens fidem eximitur integre à seruitute in præmium fidei susceptæ: quia iudicat Ecclesia fideliori serui, tio se mancipare: eadem ratione integre debet eximi, qui iam fidem suscepit, & in ea vult perseverare, cum eius dominus Ecclesiam deserit. Quia sua perseverantia testatur fideliori seruitio se mancipare. Ita *Sanchez ubi supra numero 10. Pegna part. 3. comment. 168. vers. Sed de seruis quæsitum est.* *Molina tom. 1. de iustitiis disputat. 40. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 7. Decian. tractat. crimin. lib. 5. cap. 44. numer. 28. Farinac. de hæres. qu. 197. numer. 30. & alij apud ipsos.*

<sup>168</sup> *Auctoritas resolutio.*  
 Tenendum existimo, seruos Christianos eximi omnino à seruitute, seruos vero Paganos, vel hæreticos in seruitute fisci permanere. De seruo Christiano iam constat ex secundæ sententiæ fundamento. At seruo Pagano, vel hæretico nullibi legi hanc concedi libertatem. Et cum inter bona dominorum reputentur *leg. Rem in bonis, Digestis de acquir. domin. lege vltima. Paragrapho vltimo, Codice de verborum significatione*, efficitur plane, cum aliis bonis confiscatis ad fiscum transire. Porro si seruus nondum est baptizatus, cum dominus in hæresim incidit: at baptizari intendit, & est Cathecumenus, sentio cum *Pegna commentar. 168.* consonum esse, vt libertate

TOBAR  
 Mor.  
 VI. VIII.  
 IV



donetur, & sui iuris efficiatur. Quia hoc pertinet ad Catholicæ Religionis augmentum. Et quia Catechumenus in deuotione, ac fide Ecclesie perseverans membrum Christi Domini efficitur, *cap. Veniens, de presbytero non baptizato*. Debet ergo Christianorum privilegii potiri. Demum monuerim, acquisita à seruo Christianicola semel libertate, nunquam ad seruitutem pristinam redire: etiamsi eorum domini ad fidem reuertantur, & omnia illis restituantur bona, iuxta *cap. Urgentes, de hereticis*. Quia libertas quocumque modo data, non reuocatur, *lege prima, & secunda. Codice Si aduers. libertatem. Pegna supra, Sanchez numero duodecimo. Simanc. de Cathol. institut. titulo 61. numero nono.*

## DUBIVM CXXXI.

*An requiratur sententia declaratoria criminis, ut debitores excusentur à solutione debiti hereticis præstanda?*

569 **P**œna alia hereticorum est amissio cuiuslibet iuris, & obligationis etiam iuramento vallata. *Cap. Absolutos, de hereticis*. Communiter Canonistæ extendunt locum illum ad omnia debita, & ad quacumque obligationes, ut videre est in Glossa *ibi*. Abbate, *numero primo*, & aliis pluribus citatis à Farinacio *de heresi, qu. 189. num. 57*. Dubium solum est, num requiratur sententia declaratoria criminis, ut à solutione præstanda hereticis debitores excusentur?

570 **N**on requiritur, sed sufficit, si heresis manifesta sit ex facto, vel ex testium depositione, etiamsi per sententiam nota non sit. Quia textus in *Cap. Absolutos*, solum exoptulat, esse heresim manifestam: & verbum *Absolutos*, indicat sententiam latam. Et quia à die commissi criminis amittunt heretici suorum bonorum dominium, & consequenter iurium, & obligationum, & fisco est applicandum: Ergo fisco est debitum soluendum utpote domino succedenti in actione, ac iure, quod delinquens habebat. Sic Syluester *verb. Hereticus, §. 1. numero 14*. Azorius *parte secunda, libro octavo, capite 13. questione prima*. Pegna *parte tertia, Director. comment. 168. vers. Postremo*. Farinacio *de heresi, questione nona, Paragrapho tertio, numero sexagesimo octavo*. Videtur autem manifestam heresim vocari eam, quæ exteriorem prodit in actum: quia cognita debitores, & vasalli ab omni obligatione dominis hereticis facta sunt exempti.

571 **S**ententia criminis. Quia fisco ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona hereticorum occupare non potest, ut deciditur in *Cap. Cum secundum leges, de heret. in 6*. *ibi: Sententia fuerit pronunciata*. Si autem debitores hereticis non deberent soluere, sed fisco, iam fisco ante sententiam bona hereticorum occuparet. Ita Bursat. *lib. 1. conf. 14. à numer. 18*. Azorius *supra, quest. 2. Palao tractat. 4. de fide, disp. 5. puncti. 26. numero 20*.

572 **C**rediderim, probabilis esse, posse, & debere debitores heretico soluere debita, & obsequia. *Idem assertio & obsequia expono.* Debita illi debent solui, & obsequia præstari. Nam hereticus post crimen commissum, interim dum sententia declaratoria non succedit, non priuatur possessione, & administratione bonorum: ergo ratione huius possessionis, & administrationis debita illi debent solui, & obsequia præstari. Illud vero est omnino certum, debitores, etsi à die commissi criminis eximantur ab obligatione soluendi hereticis debita, & vasallos à debito fidelitatis: non tamen ita esse exemptos, ut debita, & subiectio omnino extinguatur. Succedit namque fisco in credito, & in dominio, si alij vocati non sint. Abbas *ad c. fin. de hereticis*. Socin *ibi, numer. 1*. Ioann. de Anania, *num. 2. & 3*. Farinacius *de heresi, questio. 189. numero 68*.



## CAPVT XXVII.

*Circa Corporales pœnas hereticorum.*

## DUBIVM CXXXII.

*Abiurauit quis heresim, primo, postea vero incidit in illius vehementem suspensionem: tunc fictione iuris dicitur ne relapsus seculi Curia?*



573 **A**SOLET imponi heretico pœna carceris, exilij, tritremis verberum, & mortis. Verum pœnam carceris, & mortis, hereticis pœnitentibus imponi posse, & de factum, non dubium est. *Cap. Excommunicamus, el. 2. de hereticis*. Quam pœnam perpetui carceris hereticis debitam potest Episcopus cum Inquisitoribus mitigare, & ad tempus tantum imponere. Post condemnationem vero rei mitigatio pœnæ in Hispania penes solum Dominum Inquisitorem generalem refidet. Pœnam fustigationis, exilij, tritremis pœnitenti heretico imponi testatur. Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 42. num. 5. 6. & 11*. Farinacius *de heresi, questio. 193. à numer. 85*. Credo tamen in Hispania fustigationis pœnam, vel tritremis non imponi nisi hereticis, qui tardissimi, durique fuere ad conuersionem. Pœna mortis heretico impœnitenti, ac pertinaci imponitur, *Cap. Ad abolendam, de hereticis*. Et heretico fictione iuris impœnitenti, scilicet qui legitimis testibus conuictus, negat heresim commississe. Et dimittit contenti. Et qui in iudicio manifestat errores, & postmodum negat. Et relapsus in heresim. Dicitur quidem relapsus, qui de primo lapsu non fuit plene conuictus, sed de vehementi abiurauit. Quæstio igitur, his præmissis, vertitur, num quando primo quis abiurauit